

aquæ nimio pondere alicubi comprimatur. 2. Suppedaneum, quod ipse quadratum facit, non nisi duos pedes infra Campanæ marginem propendet. 3. Hic idem ambitus, ubi primum aquis immergitur, eas non nisi ad altitudinem 2. digitorum admittit; ita ut Urinator sub initium ped. 2. ac dig. 2. aquis immersus sit. 4. Pro apprehendendis commodius iis quæ levanda veniunt ex fundo maris, forcipes ingentes in promptu sunt, pro varietate tollendorum onerum variæ magnitudinis, quorum brachia funibus colligantur & coarctantur: 5. Campana demitti tardius debet, at retrahi celerius potest. 6. Uno die pluries ita sub aquam descendi indeque rursus ascendi, quoties sc. Urinatorem urget necessitas renovandi aëris; quam ante horæ semissem circiter sibi non impositam narravit aliquis ex eo mergorum genere WITSE-  
NIO; simul 7. attestatus, liberum esse sub aquis visum.

XII. His ita partim enarratis, partim verò opere ipso ad spectandum exhibitis, suas ut ex more nostro assignaremus rationes & causas phycas, ubicunq; sc. & res monebat id fieri & vires nostræ patiebantur, sequentes inferre placuit conclusiones:

CONCLUSIO I. Aërem illum campanæ submarinum Causa I.  
Phæn. ideò procul dubio alteri Urinatorum diutius aptum perfectiusque ad respirandum, quàm alteri; quòd interna corporis partiumque constitutio, & adeò ipsa vitæ conservandæ ratio, in uno aliter quàm in altero se habuerit: hanc ipsam verò intrinsecæ habitudinis diversitatem specialius determinare neminem antè posse, quàm respirationis usum ac necessitatem in conservanda vita perfectiorum præsertim animalium, ex indubiis & genuinis principiis ritè deduxerit. Ex Aristotelis enim mente e. g. dicendum fore, fervorem sanguinis in corde vasisque posterioris extitisse majorem, quàm qui ab aëre per iteratas exspirationes jam tepefacto refrigerari temperarique porrò satis posset: Ex *Willisii* contra hypothesei judicandum, exhaustum jam magnam partem nitro suo aërem

B

per